



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus XIV. De Clericis pugantibus in Duello.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

Magnatum instantiam revocatae sunt à Joanne XXII. *Extravag. Unica hâc Rubr.* Unde hodie istiusmodi Torneamenta sive innoxii ludi Equestres in Principum inauguratione, nativitate, nuptiis &c. laicis interdicti non sunt, si cum debita moderatione, itaque instituuntur; ut non sit periculum caedis, aut gravis vulneris, nisi casu & per accidens, secuturi, Navarrus *Manual. cap. 19. n. 9.* & Stephan. Costa *Tracl. de Ludo art. 1. §. 2. n. 31.*

5. *Lais, inquam iterato; quia clericis Torneamenta sive hastiludia utroque: &*

priori quidem modo instituta prohibita sunt *can. Quicumque clericus 3. q. 4.* ubi pro eo, qui in iis occumbit, in poenam oblationes & orationes publicae prohibita: sepultura tamen Ecclesiastica; quod persona Deo dicata sit, non est denegata. Posteriori autem modo inita in Conciliis Herbipolensi, *can. IV.* clericis ea vetante sub Honorio IV. & Salisburgenfi, sub Martino V. eosdem, in quacunque dignitate constituti sint, si hastiludii vacaverint, anathemate feriente, ut refert *cit. Gonzalez n. 6. §. 11.*



TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in Duello.

SUMMARIUM.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Duelli etymon ac definitio.</p> <p>2. Divisio in Publicum & Privatum.</p> <p>3. Licitum est duellum, subrogatū bello.</p> <p>4. Ad frangendos hostium animos &c.</p> <p>5. Vel pro vita ac fortunarum defensione susceptum.</p> <p>6. Illicitum, si ad virium & peritia militaris ostentationem,</p> <p>7. Illata injuria vindicationem,</p> <p>8. Aut Veritatis, Justitiae, vel Innocentiae probationem subeat.</p> <p>9. Pro honoris defensione ad duellum provocare,</p> <p>10. Et id oblatum acceptare, non licet.</p> <p>11. Pena in duellantes Civili,</p> <p>12. Et Canonico Jure in eos, si clerici,</p> <p>13. Et si laici sint, constituta.</p> <p>14. Eas non incurrunt in rixa, subito orta, congregantes,</p> | <p>15. Et ad duellum provocantes, eò non securo:</p> <p>16. Et si hoc casu excommunicationem patrum</p> <p>17. Non etiam casu &c. praesentes incurvant.</p> <p>18. Privatio sepulturae sacra lata sententia est,</p> <p>19. Et incurritur à duellantibus, qui praenitentes decedunt:</p> <p>20. Nisi post unum alteri unum diem primum moriantur.</p> <p>21. Reservatio censurae, duellum privatò contracta, non ubique est in usu.</p> |
|--|---|

Duellum sic dicitur, quasi Duorum, sive duarum partium sit bellum, Jacob. de Castill. *Tracl. de Duello, Proam. n. 1. §. 8.* & latè quidem quodcumque duarum partium: strictè verò & in sensu hujus Rubricae

bricæ acceptum denotat singulare certamen duorum, quod Græcò vocabulò Monomachia, *can. Monomachiam q. 5.* Ferretus *Tract. de Duello n. 1.* per definitionem autem dicitur Singularis pugna duorum inter se suscepta ex conditò, Hoflienf. *in Summa, n. 1.* & Sylvester *V. Duellum, n. 1.*

2. Est autem Duellum aliud Publicum, & aliud Privatum: quorum illud, certà formà seu solennitate in congressu observatà, ferèque in loco, congregientibus præstante securitatem, quem *Campum Francum* nuncupant: & adhibitis testibus, quos Patrinos & Secundantes vocant: istud ex conditò quidem, & certò loco temporèque duellantium utriusque consensu designatò, sed sine alia solennitate inquit, ut *ad hanc Rubric.* notant Desse-lius *Erotem, n. 2.* & Robert. König *n. 3.* Cujusmodi tam publica quàm privata duella, seu pugnæ singulares, variis casibus & ex sex potissimùm causis suscipi consueverunt.

3. Prima est diremptio belli, sive ejus resolutio in duellum: quò modò singulari pugnà cum Goliatho Philistæo congressus est David, *Lib. 1. Reg. cap. 7. v. 40.* & tres Horatii cum totidem Curiatiiis apud Livium *Decad. 1. Histor. Romana lib. 2.* Ex qua causa, licet duellum acceptare non liceat Principi, moventi bellum injustum: & justè quoque id gerenti casu, quò victoria, aliàs satis certa, dubia redderetur; quia ejus acceptatione Republicam in majus discrimen adduceret, quàm cum omnibus copiis conflegendò, Valentia *2. disp. 3. q. 17. p. 1. causa 1.* & Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 39. n. 15.* Casu tamen, quo clades aliàs impendens verisimiliùs avertenda aut victoria non magis dubia & incerta redditur, duelli sive Monomachia non acceptationem quantaxat, sed oblationem quoque & i-

psam ad id provocationem licitam, cum Navarro *Manual. cap. 11. n. 39.* & aliis docent *cit. Valentia V. Talis autem, Azor p. 3. Instit. lib. 2. cap. 5. q. 3. & cit. Sanchez n. 16.* quòd ita Principatui & Reipublicæ consulatur cum minori clade & damno subditorum. Eòdem modò in bello licitè acceptantur & offeruntur singulares pugnæ unius vel plurium militum cum totidem adversæ partis, quando id ad frangendos hostium animos, & milites ad cupiditatem ac spem victoriæ erigendos necessarium aut utile esse, judicatur, Suarez *disp. 13. de Bello, f. ult. n. 9.* & Becanus *de Fide cap. 26. q. 1. n. 3.*

Secunda, defensio vitæ, & aliquando fortunarum, v.g. cum alicui mors vel gravis jactura in rebus temporalibus, v.g. per ædium incendium inferenda intentatur: nisi pugnà singulari congregiatur cum eo, qui illa intentat. Ex qua causa, si ejusmodi mala propulsandi alia ratio non occurrat, duelli acceptationem, & oblationem quoque licitam esse, docent *cit. Valentia p. 1. §. Talis autem, Sanchez cap. 39. n. 8. & Lessius Lib. 2. de J. G. cap. 9. n. 49.* Ratio est; quòd ejus acceptatio, & oblatio etiam, minoris mali prælatio potius, quàm ad malum invitatio fit; cum eà mortis periculum non eligatur absolutè: sed alterius gravissimi mali periculum certum in dubium & incertum commutetur. *Cum eo, inquam, qui dicta mala intentat, non cum aliquo tertio innocente; cum enim tam materialiter quàm formaliter innocentem directè occidere, etiam ad propriæ vitæ conservationem, permiffum non sit, eum, qui nec motu proprio, neque alieno jussu aut nomine invadit, impetere illicitum erit, Sylvester V. Duellum, n. 3. & Palao Tract. 6. disp. 6. p. 7. num. 10.*

Tertia est ostentatio virium, audaciæ; peritiæque militaris, ad gloriam captandam

ptandam aut præbendam spectantibus voluptatem. Ex qua causa duellum illicitè acceptari & offerri, patet *arg. c. 1. de Torneamentis*. Ratio perspicua est; quia utique rectæ rationi graviter adverfatur, ad finem tam vanum tam atrox ac periculofum medium adhibere. Ita *citr. Valentia causa 5. & 6. Azor q. 4. Suarez n. 2. & Becanus n. 1.*

7. Quarta & frequens duellorum causa est vindictio & reparatio injuriæ illatæ: sicut contingit, cum quis injuriam, contumeliosis verbis &c. irrogatam, ulturus, irrogantem provocat. Ex qua causa susceptum à DD. passim & merito reprobatum, cum; quod ob eventus incertitudinem non sit medium ad intentum finem obtinendum proportionatum: tum verò & præcipuè; quod vindictam sumere non liceat autoritate privatâ, sed ad id iudicis officium sit constitutum, *l. Nullus 14. C. de Judicis, citr. Azor q. 2. Sanchez n. 15. & Becanus q. 2. n. 1.*

8. Quinta veritatis, innocentie aut justitiæ manifestatio, vel objecti criminis purgatio. Ex qua causa duella olim frequentata, & sanctionibus Ecclesiasticis damnata sunt, *can. Monachiam cit. c. Sententiam q. in fine, Ne clerici vel Monach. c. 1. & c. Significantibus 2. de Purgat. Vulg.* Ratio est; quia non solum superstitiosum ac periculofum: sed etiam fallax & omnino insufficient medium est ad veritatem, innocentiam & causæ justitiam demonstrandam; cum Deus assertori veritatis, innocenti & justam foventi causam non promiserit victoriam; & propterea plerumque fortioribus debiliores, armorum usu exercitatis eorum tractandorum rudes, & innocentes nocentibus malamque causam foventibus succumbant, & hi contra veritatem, justitiam & innocentiam triumphent, *c. Significantibus cit. Panormit. inc. cit. n. 2. & S. Tho-*

mas 2. 2. q. 95. art. 8. ad 3. ab omnibus receptus, teste *citr. Sanchez n. 3.*

Sexta, & hodie frequentissima duellorum causa est defensio proprii honoris amittendi, aut evitatio ignominie vel infamie, si duellum non ineatur. Ex qua causa, licet omnino certum sit, illicitana provocationem sive oblationem duelli, dubium tamen est, an licita saltem acceptatio sit. Ratio dubitandi oritur partim ex statutis Ordinis Equestris S. Jacobis de cujus Candidato testes inter cetera interrogantur, an is provocatus duellum acceptarit: & id recessisse compertus, tanquam ignavus & indignus repellitur, ut liquet ex *Interrogatorio Informativum ejus Ordinis n. 8.* & refert Mendo de *Jure Academico, Lib. 3. q. 29. Append. de Duello §. 2. V. Secundum*. Quæ statuta, si duelli acceptatio ex tali causa licita non esset, Catholici & Conciliarium ac Pontificiorum decretorum maxime observantes Reges nunquam approbassent vetulissent: partim verò ex ratione; quia oblatum duellum recusari videtur non ob peccatum & offensam Dei, sed ob timorem periculi, indeque illud respiciens patitur gravè jacturam honoris atque exultimationis: ad quam vitandam militaris aut nobilis vir, sicut ex communi doctrina aggressorem fugere, cum posset, non tenetur, sic oblatum duellum acceptare posse, aliquibus DD. videtur apud Bannez 2. 2. q. 64. art. 7. dub. 3.

Sed malè; plerique enim alicujus nominis ac notæ DD. præsertim TT. cum Suarez *disp. cit. s. fin. n. 5. Molina Tract. 3. de J. & J. disp. 17. Valentia 2. 2. disp. 3. q. 17. n. 2. Becano cap. 26. cit. q. 5. n. 3. & Coninck disp. 32. dub. 2. n. 8.* ejusmodi duelli oblatis acceptationem licitam negant: quibus cum tempore accessit Apostolica autoritas Alexandri VII. *Decretis editis 7. Septemb. 1665.* Propositionibus;

hibus, quas tanquam scandalosas aut perniciosas prohibuit, secundò locò referens eam, *Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare; ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Ratio est; quia ista, non solum non necessarium, sed indoneum etiam medium est ad veri honoris defensionem; cum ex una, duellum acceptans apud verè cordatos ac sapientes viros non solum prudentiæ & virtutis Christianæ, sed veræ quoque Fortitudinis existimationem & honorem perdat: imò perpetuæ infamiæ notam contrahat, ex decreto S. Synodi Trident. *Sess. 25. cap. 19. de Ref.* Ex altera verò parte, apud minus probos vanosque homines honori suo consulere cum laude possit, si profiteatur, se, licet duellum ob Divinæ & Ecclesiasticæ legis observantiam & publicæ infamiæ metum non acceptet, nihilominus, ut fortem decet, cuicumque aggressori, & hos inter etiam provocanti obviaturum: quod à multis Illustribus & Militaribus etiam viris cum gloria factum, refert Mendo *cit. §. 2. à V. Rursus.*

Neque hac in re paritas est cum eo, qui non fugit aggressorem; quia huic se opponentis factum rationem habet defensionis, non etiam acceptantis duellum, cum; quia non datur defensio, ubi offensio sive aggressio desideratur: tum verò; quia idonea defensio potius est repulsa, præsertim antè relatò modò facta, quam acceptatio, quæ infamiam parit.

Minus obstant Statuta Ordinis Jacobæi; quia, ut explicationes alias præmittam, ea non exigunt; ut duellum sit acceptatum: sed inquiri solummodo præcipiunt, quomodo ad duellum provocatus se gesserit Candidatus: & instar ducis, ad militiam non admittentis hominem meticolosum & fugitantem periculorum, militiæ suæ indignum reputant eum, qui ex ignavia & metu duellum declinasse est

compertus: Eum tamen, qui Divinæ & Ecclesiasticæ legis reverentiâ antè explicatò aliòve simili modò duellum recusat, nequaquam excludunt, ut idem Mendo *§. cit. & Tract. de Ordinib. Milit. Disquis. 3. q. 2. n. 17.* observat.

Porro illicita hujusmodi duella Jure **I 12** etiam Civili rejiciuntur, *cit. l. Unic. C. de Gladiat.*, cujus (licet textus loqui videatur de congregientibus in ludo gladiatorum, vel, qui operas suas locabant, ut cum bestiis decertarent, Gonzalez *in c. fin. hâc Rubr. n. 9.*) dispositione tamen etiam duellantes comprehendi, post Bartolum aliòsque Interpp, volunt *cit. Castillo Proem. n. 27. Ferretus n. 35. Bocerus de Duello cap. 2. & Bruneman in l. cit. n. 2.*

Jure Canonico antiquò clericus **I 22** iniens duellum, si id obtulerit ipse, aut ab alio oblatum acceptarit, deponi jubetur *c. 1. vel, ut istius dispositionem cum Navarro Manual, cap. 27. n. 157. accipit Suarez de Censur. disp. 31. s. 4. n. 48.* ab officio & beneficio perpetuò suspendi: etiam si ex duello neque mors neque mutilatio sit secuta, ut *c. cit.* habetur. Si verò in eo per se vel alium pugnans clericus aliquem mutilet vel occidat, irregularitatem contrahit, *can. Si quis vidnam s. disp. 50. c. fin. hâc Rubr. & c. fin. de Homicid. in 6.* In eosdem clericos in duello pugnantes, in provocantes, vel id tentantes, ad duellum comitantes, idque aliquò modò promoventes à Pio IV. *Constitut.* quæ incipit *Ea que*, edità idibus Novemb. 1560. lata est excommunicatio reservata, & privatio beneficiorum ac dignitatum Ecclesiasticarum, atque inhabilitas ad eadem vel alia sine dispensatione Apostolica obtinenda.

Novissimò autem Jure S. Synodi **I 23** Tridentinæ Imprimis Imperator, Reges, Duces & domini temporales alii, duellantibus locum in terris suis concedentes, ipsò

Z 2

factò

facto sunt excommunicati, & privati jurisdictione ac dominio civitatis, castri vel alterius talis loci, si eum ab Ecclesia obtineant. Si verò eum in feudum obtineant ab alio Domino directo, ad hunc statim revertitur. Deinde in duello pugnantes eorumque patrini latae sententiae excommunicationis, confiscationis honorum suorum, & perpetuae infamiae poenam incurrun, & ex ipsis occisor punitur ut homicida: occisus autem sepulturam Ecclesiasticam privat. Demum, qui consilio & suasionem duellum promoverint, cum istius spectatoribus excommunicationis vinculo etiam ipsi constringuntur. *Sess. 25. cap. 19. de Ref. Eadem publici duelli poenas Gregorius XIII. Constituit. quae incipit Ad tollendum, 24. Decemb. 1582. publicata, ad duella privata ex condicto certo loco & tempore, etiam sine patrinis & aliis solennitatibus, inita extendit. Clemens autem VIII. excommunicationis censuram sedis Apostolicae absolutioni reservando confirmavit Constituit. quae incipit Illius vires, 17. Septemb. 1592. edita, ut videre est apud cit. Sanchez à n. 20. & Barbolam de Offic. & Potest. Episc. alleg. 50. n. 120.*

4. Circa eas tamen poenas DD. passim notant. Primò, iis non affici illum, qui accepta injuriâ aut occurru inimici exarscens statim provocat & congregatur cum illo; quia ea non est pugna certo loco & tempore inita ex condicto; ac proinde nec duellum, cui relatae poenae à S. Synodo memorata &c. sunt decretae, Sanchez *cap. 39. n. 28. Farinac. Lib. 1. Consil. p. n. 35. & Palao Tract. 6. disp. 6. p. 7. n. 18.* Aliud esset, si injuriam inferenti aut inermi inimico occurrenti diceret, *Assume arma, & hoc loco te expecto*; vel, *Exeamus ad hunc vel illum locum, & sibi congregiamur*, Sanchez *cit. n. 28. Palao cit. num. 18. & Thesaurus de Panis Eccles.*

V. Duellum, cap. 4. nam. 1. not. 2. 15.

Secundò, memoratas poenas etiam non contrahi ab iis, qui quidem se mutuo provocant, tempore tamen & loco conflictu comparentes, pugnam non congregiuntur; quia Synodali decreto & Constituit. *cit.* puniuntur provocans & provocatus, *Qui pugnam vel monomachiam commiserint*, Sanchez *1. cit. & alii apud Barbolam in Trident. cap. 6. cit. n. 12.* Aliter res se habet cum patrinis, eorumque sociis; hos enim laudatus Papa excommunicationi expressè subiecit: quantumvis pugna, quam promovere conatè sunt, non fuerit secuta, *cit. Sanchez n. 31. Thesaurus n. 1. pr. & Mendo q. 29. cit. nam. 31.*

17. Tertio, dictam excommunicationem non incurri ab iis, qui duellantes solùm comitantur, animò pugnae sive congressus impediendi: ut & spectatores, qui dum casu veniunt ad locum pugnae, aut ex aedium suarum fenestris vel januis congregientes spectant; quia Constitutio Gregoriana loquitur de spectantibus *Ex proposito* sive datâ operâ, & de duelli quasi approbatoribus, Sanchez *cit. n. 31. & Mendo n. 312.*

18. Quarto, privationem sepulturae Ecclesiasticae, à Concilio constitutam in eos, qui in duello occumbunt, non ferendae à iudice, sed à Jure latae sententiae esse; quia Concilium utitur verbo *Caveat*, latae sententiam denotante, per tradita à Tiracuello *in 1. Si unquam 8. C. de Revoc. donat. V. Revertatur, n. 161.* Non minus clarè id exprimitur *cit.* Constitutionis Clementinae verbis, *Ecclesiastica sepultura à privatos esse volumus*; quae ejusdem sunt significationis, ut cum Peregrino de Duello, *q. 7. num. 4.* observat Pignatelli, *Tom. 9. Consult. 88. n. 84.* id à S. Congreg. Cardd. Concilii Interpp. asserens declaratum. Ubi

Dabium

Dubium est, an in duello occumbens sepulturâ illâ etiam privetur, si decedat poenitens; huic enim illam Jure non denegari, existimat Portel. *Respons. Moral. p. 3. casu 10. n. 3. & 4.* quod S. Synodus duellantis cadaver sacrâ humo solum privet, si in ipso conflictu decesserit; qualis non est, qui lethali vulnere in eo accepto poenitens, & præsertim consuetis Ecclesiæ Sacramentis receptis decedit; cum talis non in ipso conflictu, sed post conflictum jam finitum decedat. Cui argumentum non leve pondus inde accedit; quod S. Synodus loqui videatur de occumbente in duello cum notorio peccato mortali & sine poenitentia signis; cum solos hujusmodi peccatores, quando impoentes decedere præsumuntur, sacrâ sepulturâ ab Ecclesiâ priventur, *can. Quibus, 13. q. 2.* Sed hoc leve est, cum; quia istâ aliquando etiam eos, qui poenitentes decedunt, privari, liquet ex decreto Concilii Lateranensis relato *c. 1. de Torneament.* tum verò; quia non multo post conflictum quomocumque decedens moraliter in conflictu decedere censetur: & sic ita decedere non censetur, poenæ privationis à S. Synodo constitutæ rarò locus foret; cum etiam lethali-ter vulnerati aliquamdiu post congressum plerumque supervivunt.

19. Quare melius, huic quoque sacram sepulturam *cap. 19. cit.* denegatam, cum Sancio *Select. disp. 36. n. 9.* Diana *p. 4. tract. 4. resol. 192.* Lezana *Tom. 2. V. Duellum, n. 14.* & aliis defendit Pignatell. *l. cit. n. 161.* quod id aperte exprimat Rituale Romanum, jussu Pauli V. editi, *Tit. de Exequiis*, cujus verba sunt, *Negatur sepultura Ecclesiastica morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint signa poenitentia.* Ratio est; quia poenitentia non impedit, quò minus talis in conflictu decessisse comprobetur;

& propterea sepultura sacrâ ei denegatur, juxta decretum Synodale & Constitutionem Clementinam, quæ criminis, ad corporum simul & animarum internecionem fabricante diabolo introducti, odio illâ in conflictu decedentes perpetuò privant, ullò discrimine non factò inter eos, qui cum vel sine poenitentia vel Ecclesiæ Sacramentis moriuntur; ut proinde, sicut in Torneamentis, *c. 1. & c. fin. de Torneament.* & in ludu agitationis taurorum *Constitut. Pii V.* quæ incipit *De salute*, editâ Calend. Novemb. 1567. sic etiam in duello decedentibus sacræ sepulturæ honos denegetur; quantumvis ante obitum dederint signa poenitentia & Ecclesiastica perceperint Sacramenta.

Quin laudatus Pignatell. *n. 164. cum 20.* Santarello *de Sepult. Tract. 2. concl. 8. n. 12.* & nonnullis aliis sacram humum etiam denegandam, censent ei, qui ex vulnere in duello accepto primùm post aliquot dies poenitens atque à peccatis & censuris absolutus decesserit; quòd, si talis ad sepulturam Ecclesiasticam admitteretur, istius privatio frustra expressa fuisset à Tridentino; cum iam includatur sub-excommunicatione. Sed hoc vanum est; cum enim in conflictu decedens ad sacram sepulturam etiam post absolutionem à peccatis & censurâ illâ obtentam non admittatur, privationis expressa mentio non frustranea, sed necessaria fuit. Unde melius ex vulnere in duello accepto post unum alterumve diem extinctum è sacrâ sepultura non excludendum, sustinent Caraffa *de Duello, Tract. 2. f. 3. q. 19. n. 9. cit.* Lezana *n. 14.* Portell. *n. 7.* & Diana *p. 11. Tract. 6. resol. 26.* quòd ex una, *cap. 6. cit.* & ipsa *Constitut. Clementis VIII.* disertè loquantur de eo, qui in ipso conflictu, non post hunc, decesserit: ex altera verò parte, privatio il-

Z 3 la por-

la pœnalis; atque idcirco porrigenda non sit ad casum, verbis strictè acceptis non comprehensum: ut est post unum alterumve diem à conflictu lapsum cum pœnitentia & Ecclesiæ Sacramentis decedentis.

Quintò, quantumvis excommunicatio ab omnibus, in quos lata est, ipsò factò statim animam liget, ad amissionem tamen jurisdictionis & domini loci, ad duellum concessi, ad bonorum confiscationem & alias ejusmodi pœnas, jure jam quæsità privantes, exigi sententiam criminis declaratoriam, *arg. c. Cùm secundum 19. de Hereticis in 6.* ut docet Magister usus, & de aliis quoque pœ-

nis Ecclesiasticis Jure latis infra *Tit. 37. à n. 13.* ex instituto tradetur.

Sextò demum, in Germania aliis. **21.** que provinciis Septentrionalibus Constitutiones Gregorianam & Clementinam, quoad duella privata, propter earum ignorantiam aut promulgationis defectum, in usum non deductas; & duellantes eorumque fautores ac spectatores à Mendicantium Ordinum Confessariis vi fuorum privilegiorum absolvi à Censuris posse, ut post Laiman. *Lib. 3. Tract. 8. p. 3. cap. 5. n. 4.* tradunt *cit. Mendo n. 310. Pirthing hœc Tit. n. 3. & Gobat in Experient. Appendic. n. 72.*



TITVLVS XV.

De Sagittariis.

SUMMARIUM.

1. *Sagittarii hinc vocantur Ballistarii:*
2. *Quibus artis sue usus in bello tantum iusto,*
3. *Non pro infidelibus contra fideles est permittus.*

1. **S**agittariorum five Ballistariorum nomine hęc Rubricę veniunt ii, qui sagittas, præsertim venenò illitas, ex arcibus, aut ex ballistis five catapultis saxa jaciendò, vel, ut hodie solet, ex tormentis bellicis five machinis æneis glandes aut gravioris ponderis globos plumbeos, ferreosque ac lapideas pilas ejaculandò arcium urbiùmque obsessarum mœnia turręque, aut

hostium agmina in acie prosterunt, Gonzalez in *c. Unic. n. 3.*

2. His, licet artis suę exercitium non omnino, sed contra Christianos duntaxat & Catholicos interdictum, ex *c. cit.* textu defumatur, non tamen satis constat, an illam in omni aut injusto tantum bello, ut vult Glossa in *c. cit. V. Artem,* contra eos exercere prohibeantur. Quia in re mihi verisimilius est *c. cit.* ab Innocentio III. non damnari ejus artis usum in bello, quod Christianus & Catholicus Princeps vel Respublica justè suscipit contra alium Principem aut Rempublicam suę Religionis; quia justum bellum gerens, an apertè pugnet: aut ex infidiis, prout hac arte fieri existimat Sylvester *V. Ars, q. 6. nihil ad justitiam inferesse,*